

gratiam acceperit. Præterea, in Concil. Ephes., t. 3, c. 6, sic dicitur: *Sacras Sanctorum triumphatorumque Martyrum, maxime vero beatissimi Joannis Theologi ac Evangelistæ, reliquias videndi, eisdemque complectendi desiderio flagrant*; et tomo 2, c. 14, Celestinus Papa in Ep. ad Synodum Ephes.: *Ante, inquit, vos præcipue considerare, iterum atque iterum recolere decet, quibus Joannes Apostolus prædicavit, cujus reliquias præsentibus honoratis*. Idem fere habetur in 7 Synod., act. 5, prope finem, ubi narratur miraculum de Joanne Anachoreta. Ex iis satis ergo constat, et mortuum esse Joannem, et ejus corpus Ephesi fuisse sepultum. Nam quod quidam finxerunt, ut Augustin. et Isidor. supra referunt, Joannem quidem vere fuisse sepultum, tamen vivum et dormientem sub terra servari, et incredibile est, et sine ullo fundamento confictum. Huic etiam sententiæ Ecclesiæ auctoritas magnam fidem facit, ut dicam. Neque ex verbis Christi Domini aliquid sumi potest contra hanc receptam historiam et traditionem. Ut enim omittam multa quæ de multiplici lectione illius loci possent scribi, quæ in recentioribus expositoribus illius loci, et apud Franciscum Lucam in suis notationibus videri possunt, quia si legatur *si vel sic, vel si sic eum volo manere*, non multum refert, nec variat sensum verborum Christi; his, inquam, omissis, tres sunt probabiles sensus: primus, ut Christus non loquatur de secundo suo adventu ad iudicium, sed de adventu ad vindictam sumendam de Judæis, non personali præsentia, sed per effectum. Juxta quam expositionem significare voluit Christus, Joannem vivum permansurum usque ad destructionem Jerusalem. Hanc expositionem refert Theophyl., eamque sequitur Franciscus Toletus. Secundus sensus est, Christum locutum esse de proprio adventu et ultimo, tamen nihil affirmasse, sed solum interrogando Petrum, conditionali locutione, illius curiositatem elusisse. Et hunc sensum videtur sequi Chrysost., et apertius eum tradit Cyrillus. Tertius est, Christum solum affirmasse Joannem non futurum sui sectatorem per crucem et violentam mortem martyrii, et hoc sensu dixisse: *Sic eum volo manere, donec veniam*, scilicet, ut ipsum ad me recipiam. Ita Augustinus, locis citatis, quem Beda et D. Thom. super Joan. imitantur.

5. *Joannes Evangelista beatitudine jam fruitur.* — Ex hoc autem fundamento colligitur, Joannem jam cum Christo regnare in beatitu-

dine cœlesti, ut patet ex iis que de Moyse dicebamus. Quia generalis fidei regula est, hominem justum ac perfecte purgatum, post mortem statim consequi beatitudinem. Et hoc plurimum confirmat Ecclesiæ traditio. Celebrat enim festum Joannis Evangelistæ, cum neminem colat nisi beatum, Deoque fruentem, et ita hoc aperte supponit in toto officio illius festivitatis. Et hinc etiam confirmatur quod diximus de morte ejus, quia ante mortem corporis nullus hominum beatitudinem ingreditur. Dixerunt vero aliqui, Joannem non solum animo, sed etiam corpore jam esse beatum, non quod absque morte media ad illum statum fuerit assumptus, sed quod statim post mortem resurrexit gloriosus. Quod confirmant conjecturis supra adductis, quia reliquiæ ejus non apparent; et præterea quia verba Christi videntur hoc modo proprius exponi. Nam propter brevitatem mortis et accelerationem resurrectionis, potest dici sic semper manere, quia illa mors quasi nihil reputatur; sicut supra in simili diximus, exponentes locum Pauli, 2 ad Thess. 4. Et hujus sententiæ meminit Ambr., ser. 20 in Psal. 118; et Hier., in ser. de Assumpt., neque eam rejiciunt; neque D. Thomas lect. 5 in c. 21 Joann.; eamque sequitur Niceph., supra. Sed nullum habet sufficiens fundamentum, quia ex antiquis Patribus (quos retulimus) constat reliquias ejus diu Ephesi permansisse; quinimo Chrysostomus, hom. 26 in Epist. ad Hebr., cum dixisset: *Apostolorum plurimorum ossa nescimus, ubi jacent*, subdit: *Petri et Pauli quidem, Joannis et Thomæ manifesta sunt sepulcra*; loquitur autem manifeste de sepulcro in quo erant Joannis ossa, quæ supponit Ephesi fuisse. Postea vero alio transferri potuerunt et ignorari, vel casu aliquo perire. Historia autem illa, quod vivus ingressus fuerit sepulcrum, apocrypha est et incerta, maxime si fidem adhibeamus Abdiæ, qui lib. 5 Hist. Apostol., in fine, aliter refert mortem ejus, et illi se interfuisse affirmat. Et quamvis priorem historiam admittamus, ex ea solum habetur (quod supra ex Epiphania retulimus), Joannem singulari et admirando quodam modo obiisse.

6. *Joannes Evangelista secundi adventus Christi præcursor non futurus.* — Atque ex his concluditur, Joannem non esse venturum cum Elia et Henoch, ut sit præcursor ultimi iudicii. Probatur ex dictis, applicando rationes supra adductas de Moyse et Jeremia, quia anima jam beata non est iterum unienda cor-

DISPUTATIO LVI,

In quatuor sectiones distributa.

DE SIGNIS QUÆ PRÆCEDUNT ADVENTUM CHRISTI AD JUDICIUM.

pore mortali ut patiat, præsertim cum nullum sit fundamentum ad hoc inusitatum miraculum confingendum. Ultimo concluditur, solum Henoch et Eliam futuros esse secundi Christi adventus præcursores. Probatur a sufficienti enumeratione. Et omnia confirmantur testimonio Apoc. 11, ubi duo tantum præcursores venturi, et sub Antichristo passuri dicuntur. Quod vero c. 10 de se dicit Joannes, se adhuc prophetaturum gentibus, hunc habet sensum, quod in illa revelatione, quam eo capite narrat, intellexisset se plures alias visiones propheticas ad varias gentes pertinentes, deinceps habiturum et scripturum. Alii exponunt, illud dictum esse propter Evangelium quod postea scripsit, et per illud multis gentibus regnisque prophetavit. Alii simplicius dicunt, illud impletum fuisse cum iterum in Asia prædicavit, quando ex insula Pathmos, in quam fuerat relegatus, rediit.

7. *Responsio ad argumenta in oppositum.* — Et ex his fere satisfactum est fundamentis prioris sententiæ. Solum superest respondeamus ad illa verba Christi: *Calicem quidem mecum bibetis*. Quibus respondet ibi Hieron., hoc impletum esse quando Joannes in ferventis olei dolium missus est, vel Ephesi (ut scribit Abdiæ, dicto lib. 5), vel Romæ, ut scribit Tertul., lib. de Præscrip. hæretic., c. 36, et antiquissima Ecclesiæ Romanæ traditio confirmat. Nam, licet tunc mortuus non fuerit, tamen, quia et voluntarie se morti obtulit in testimonium fidei, et causa illa de se sufficiens erat ad mortem inferendam, nisi miraculose esset impedita, id satis est ut dicatur *bibisse calicem* Christi, propter quod sæpe ab Ecclesia *martyr* appellatur. Addit Euth., in Matth. 43, calicem Christi bibere, non solum qui violenter mortuus est propter Christum, sed etiam qui exilia, flagella, aliaque similia propter eum patitur, et sic certans usque ad mortem perseverat. Quæ omnia cum magna perfectione et dignitate in Joanne reperiri manifestum est.

8. Ad ultimam vero congruentiam facile est respondere, in lege gratiæ tot esse testes Christi et doctrinæ ejus, ut non sit necessarium tunc novum Joannis testimonium. Erunt enim tunc multi Sancti et prædicatores Evangelii qui Eliæ et Henoch adhærebunt. Nec fidei testimonium pendet ex visione oculorum, ut propterea necessarius sit testis oculatus, quod si hoc etiam concedere velimus, aderit Elias, qui Christum vidit in carne mortali et in gloriæ claritate in die transfigurationis.

Supponimus multa signa et indicia antecessura esse diem iudicii, et adventum Christi Domini, ut ex Scriptura statim ostendemus. Quod (ut D. Thomas in 4 notavit) partim pertinuit ad Christi dignitatem, et gloriam adventus ejus, juxta illud Aggæi 2: *Adhuc modicum, et ego commovebo cælum, et terram, et mare, et aridam, et veniet desideratus cunctis gentibus*; nam, licet intelligi hoc possit de primo adventu, tamen potest etiam referri ad secundum, ex Paulo ad Heb. 12; partim ad utilitatem hominum, ut se præpararent ad iudicium. Dicemus igitur de illis signis quæ in Scriptura sacra habent fundamentum. Cætera enim, quæ afferri solent, nullius sunt auctoritatis, qualia sunt illa quindecim, quæ ex Hieron. referunt Scholastici, in 4; D. Thom., d. 58, q. 1, a. 4, q. 1; et Sotus, d. 46, q. 2, a. 1. Illa enim neque apud Hieronymum reperi, et prædicti auctores affirmant Hieronymum non ea referre ex propria sententia, sed ex apocryphis quibusdam Judæorum annalibus. Attingit autem illa Euseb. Emisen., hom. in Domin. 2 Adventus, et (tacito nomine Hieronymi) inquit, in Annalibus Judæorum scripta referri. Postquam vero ea retulit, subjungit: *Nos tamen iis quidem auctoritatem non damus; ideo vero scripsimus, quia Evangelii verbis convenire videntur*. Illis ergo et aliis id genus prætermisissis, signorum quæ in Scriptura indicantur, quædam sunt valde generalia et communia, quæ, fere quando Ecclesia Christi durat, diversis temporibus accidunt, quantum veluti per antonomasiam illi tempori, quod proxime iudicium antecedit, attribuantur. Hujusmodi sunt multa ex iis quæ Mat. 24 narrantur, ut illud. *Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent. Audituri estis prælia, et opiniones præliorum, consurget gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentia, et fames, et terræmotus, et alia hujusmodi; ejusdem generis sunt illa quæ narrat Paul., 1 ad Timoth. 4: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum*; et 2 ad Timoth. 3: *In novissimis diebus instabunt tempora periculo-**

et erunt homines seipos amantes, cupidi, elati, blasphemii, etc. Hæc igitur signa, quia communia sunt, et per se satis clara, nulla demonstratione aut explicatione indigent; declarando autem propria signa iudicii, constabit quomodo singulari modo et per antonomasiam illi tempori attribuantur. Alia ergo sunt propria illius diei signa, quæ ad duo revocari capita possunt. Quædam, quæ antecedent iudicium, et initium ejus, id est, adventum iudicis, et convocationem iudicandorum, quæ fiet angelica tuba personante; alia, quæ comitabuntur vel inchoabunt ipsum iudicium, quorum signorum initium intelligi potest futurum in prædicto sono tubæ, homines ad iudicium convocantis. De iis posterioribus signis sermo erit disputatione sequenti; hic solum de prioribus, de quibus Christus dixit: *Cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est in januis.* Possent autem merito inter hæc signa numerari Antichristi regnum et persecutio, et adventus ac prædicatio Eliæ et Henoch, de quibus, propter materiæ amplitudinem, proprias disputationes præmisimus. Hic ergo explicanda supersunt tria alia illustriora signa, quæ partim Antichristum antecedent, partim sequuntur. Hujusmodi sunt prædicatio Evangelii per universum mundum, eversio Romani imperii atque Urbis, cœlestes immutationes solis et lunæ, et stellarum ac elementorum, et rerum omnium, de quibus, et de ordine quo eventura sunt, disseremus.

SECTIO I.

Utrum ante iudicium prædicandum sit Evangelium in universo orbe, sitque hoc signum iudicii appropinquantis.

1. In hac re unum est certum, multa vero dubia. Certum quidem ac de fide est, ante diem iudicii prædicandum esse Evangelium in universo orbe. Hoc enim eisdem fere verbis docuit Christus, Matth. 24, idque aliis testimoniis postea confirmabitur. Tria vero ad hoc explicandum inquiri possunt. Primum, quomodo hæc universalis prædicatio intelligenda sit. Secundum, quem effectum sit habitura, priusquam iudicium inchoetur. Tertium, quando quove ordine perficienda sit.

2. Circa primum, ratio dubitandi sumi potest ex Paulo, ad Rom. 10, dicente: *In omnem terram eavit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum;* et ad Colos. 1, de verbo Evangelii inquit, *quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat.* Jam ergo tempore Pauli prædicatum erat Evange-

lium in universo orbe. Quod si quis respondeat, per synecdochen esse intelligendum in iis locis universum orbem qui tunc erat cognitus, vel qui Romano subiacebat imperio, sicut Lucæ 2 dicitur: *Exiit edictum a Cesare Augusto, ut describeretur universus orbis,* simili modo poterunt intelligi verba Christi, Matt. 24: *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe;* et ita hoc non erit peculiare, sed valde commune signum futuri iudicii. Et auget difficultatem Chrysost., hom. 76 in Mat., qui hæc verba Christi per illa loca Pauli interpretatur. Unde quod Christus subjungit: *Et tunc veniet consummatio,* non intelligit de consummatione mundi, sed de eversione Jerusalem. Nam de illa Christus sermonem fecerat, et de eadem fuerat a discipulis interrogatus: *Quando hæc erunt?* Quam expositionem sequuntur Theophyl. et Enthym.; et eadem fuit expositio Hilarii, canon. 25 in Matth.; nec multum discrepat Hieron. ibi, et Ambros., lib. 10 in Lucam, c. de Signis futuræ destructionis templi. Nam, licet de sæculi consummatione hoc signum intelligant, tamen existimant jam fuisse suo tempore impletum. *Non enim puto* (ait Hieronymus) *aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret, et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.* Unde Auselmus, eandem sequens interpretationem hujus universalis prædicationis, consequenter exponit illa verba: *Tunc veniet consummatio,* his verbis: *Non dicit statim, sed non prius veniet consummatio civitatis, vel mundi.*

3. *Universalis Evangelii prædicatio instantis iudicii signum et consummationis sæculi.*— Nihilominus dicendum est verba Christi proprie esse intelligenda de universo orbe, atque de omnibus provinciis et locis in quibus homines habitant, ita ut in omnibus illis prædicandum sit Evangelium, antequam Christus ad iudicium veniat. Hæc est sententia Augustini multis in locis, præcipue vero ep. 78 et 80 ad Hesichium, et l. 2 de Sermone Domini in monte, c. 10, et l. de Unitate Eccles., c. 13, et l. 2 de Consensu Evangel., c. 77, et l. de Agone Christiano, c. 29; Prosperi, de Prædict. et Promis. Dei, p. 3, c. 40. Et prius eam docuit Origenes, tract. 28 in Mat., ubi, loquens de statu rerum in fine mundi, sic inquit: *Et in hoc statu constitutis rebus, Evangelium, quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo (multi enim non solum barbararum, sed etiam nostrarum gentium usque nunc non audierunt Christianitatis verbum) tunc prædicabitur, ut*

omnis gens Evangelicam audiat prædicationem, et nemo derelinquatur qui non audivit. Et inferius id latius prosequitur, concludens: *Si quis temere dicere vult, prædicatum jam esse Evangelium in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, consequenter dicere poterit jam finem venisse.* Idem sentit Damasc., l. 4, c. 27, ubi, de Antichristo loquens, inquit: *Primum itaque, quemadmodum Dominus dixit, Evangelium apud omnes gentes prædicari necesse est, ac tunc ille ad prodendam Judæorum impietatem veniet.* Idem fere affirmat Cyril., c. 16, quamvis existimavit ipse, suo tempore prædicatum fuisse Evangelium fere in universo mundo. Optime Theodoretus, 2 ad Thessal. 2, tractans illa verba: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore;* sic enim exponit: *Cum didicisset Apostolus, dixisse Dominum: Oportet Evangelium prædicari in omnibus gentibus, et tunc finem futurum, videret autem adhuc vigere cultum idolorum, dixit, sequens doctrinam Domini, fore ut prius evertatur superstilio, et impius daemonum cultus, et ubique fulgeat divina prædicatio, et tunc appareat veritatis adversarius.* Idem sentit Greg., l. 35 Moral., c. 15; et apertius Beda, Matt. 24; ac denique Bernard., l. 3 de Consider. ad Eugenium; et D. Thom., lect. 3 in ad Rom. 10. Secundo probari hoc potest ex prædictis verbis Christi. Dedit enim hoc tanquam signum consummationis mundi. Hoc namque significat, cum inquit: *Et tunc veniet consummatio;* sed nisi hoc intelligatur proprie de generali prædicatione per universum mundum, nullius momenti esset hoc signum, quia alio proprio modo et per synecdochen ante mille quingentos annos prædicatum fuit Evangelium per universum orbem, et nondum venit consummatio. Nec potest convenienter dici, Christum solum significasse non futuram sæculi consummationem, donec præcedat universalis prædicatio. Nam verbum illud: *Et tunc veniet,* in sua proprietate et rigore proximam consequentem unius post aliud significat; et quanquam necesse non sit quod sæculi consummatio post universalem prædicationem immediate futura sit, tamen ut minimum significatur illo modo loquendi, inter unam rem et aliam, non interpositum iri magnam temporis moram; at duratio, mille quingentis annis comprehensa, longissima est; non igitur intelligi potest ille locus de prædicatione universali, tam remotis sejuncta temporibus. Neque etiam videtur commode exponi de sola eversione Jerusalem. Tum quia discipuli, teste

Matthæo, non tantum de eversione Jerosolymitana seiscitati sunt, sed dixerant: *Quod signum adventus tui, et consummationis sæculi?* et tamen Christus eorum interrogationi respondet. Deinde utitur voce *consummationis* absolute et simpliciter, qua universi potius quam unius civitatis tantum consummatio significatur. Præterea, multa signa præbet quæ non videntur antecessisse ante destructionem Jerusalem, ut illud: *Consurget gens contra gentem, regnum adversus regnum, et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentia, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt;* et illud: *Multi Prophetæ surgent, et educent multos, et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Hæc enim et similia, licet ex parte inchoata fuerint a principio nascentis Ecclesiæ, integre tamen, et prout a Christo videntur prædicta, non nisi in toto progressu Ecclesiæ videntur impleri. Denique addit Christus, Evangelium esse prædicandum in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, ut, nimirum, in die iudicii nulla sit gens quæ excusari ex eo possit quod sibi non fuerit Evangelium prædicatum; ergo loquitur proprie de universali prædicatione. Tertio probat hoc Augustin. ex illis locis Veteris Testamenti, in quibus promissa est Christo omnium gentium nationumque possessio, dominium ac veneratio, Psal. 71: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum;* Psal. 85: *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine;* Sophon. 2: *Et adorabunt eum omnes de loco suo, omnes insule gentium,* Malach. 1: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Ergo oportet ut ante mundi consummationem Christus per Evangelii prædicationem, totius mundi possessionem et dominatum accipiat. Et confirmatur, quia pro omnibus mortuus est Christus, et ex omnibus gentibus, populis et linguis aliquos salvabit, ut dicitur Apoc. 7, omnes iudicabit; ergo ad omnes etiam Evangelii prædicatio diffundetur. Ultimo ex iis quæ in discursu Ecclesiæ usque ad nostra tempora gesta conspiciamus, non obscure declaratur, hanc Christi prædicationem non modo Apostolorum tempore, verum neque usque ad hanc ætatem esse impletam, sed paulatim impleri; atque adeo non esse mundum finiendum, donec integre compleatur. Nam et Origenes et Augustinus citatis locis referunt, suis temporibus non fuisse prædicata-

tum Evangelium in universo orbe; et (ne vetera repetamus), constat nostra ætate inventas esse plures provincias, ad quas prædicatio Evangelii nunquam pervenerat, cum illæ neque Apostolis, neque ante nostram fuerint ætatem cognitæ. Nunc autem videmus in eis Ecclesiam esse diffusam, et quotidie novas nationes inveniri, januamque paulatim aperiri ad prædicandum eis Evangelium, cujus neque notitia, neque vestigium in ipsis reperitur. Ergo universalis hæc prædicatio Evangelii intelligenda est proprie ac simpliciter de toto orbe.

4. *Responsio ad argumenta in oppositum.* — Ad difficultatem autem propositam respondet primo Augustinus, Paulum in illo loco ad Rom. 10, more prophetico quod futurum erat, tanquam jam factum, prædixisse, sicut et David eodem genere locutionis de præterito dixit: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ad alium fere locum ad Colos. 1 respondet, Paulum non asserere Evangelium totum mundum occupasse actu, sed virtute. Quia ita seminatam erat, ut in toto mundo fructificaret jamjam, crederetque. Quare posterior hic locus difficultatem non habet; in priori vero nonnulla est difficultas.

5. *Testimonii Pauli ad Rom. 10 expositio.* — Quia Paulus rationem ibi reddit cur essent etiam suo tempore inexcusabiles, qui in Christum non credebant. Unde cum sibi objecisset: *Numquid non audierunt?* respondet: *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum.* Ergo necesse est ut loquatur de re jam facta, alioqui non ostenderet quomodo essent inexcusabiles homines qui tunc vivebant, sed qui futuri post essent, quando illa impleretur prophetia. Ideo aliter responderi potest ex verbis Hieronymi supra citatis, sonum Evangelii dupliciter posse pervenire ad aliquos: primo, per proprios prædicatores, et sufficientem Evangelii propositionem, et hoc modo nondum pervenisse Evangelium ad universum mundum, perventurum tamen aliquando; alio modo per solam famam ab iis locis emanantem, in quibus Evangelium prædicatum est, et hoc modo intelligi Paulum, cum ait: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ita fere D. Thomas supra, et Ambrosius. Sed hæc etiam responsio difficultatem habet, tum quia sonus Evangelii per solum rumorem ac famam non videtur esse satis, ut homines fiant inexcusabiles, nisi fortasse talis tamque probabilis sit, ut eos obliget ad inquirendam veritatem; tum maxime quia neque hoc modo percrebuerat tunc

sonus Evangelii per omnes mundi provincias, sed ad summum per provincias in hoc nostro orbe notissimas. Ergo necessario fatendum videtur, Paulum de hoc solum fuisse locutum. Quod etiam videtur maxime consentaneum intentioni ejus, nam potissimum intendebat convincere Judæos, et de eis loquitur, cum dicit: *Numquid non audierunt?* ut exponunt Theodoret. et Ambrosius; et licet exponatur de gentibus, loquitur tamen de eis inter quos versabatur, et hos dicit esse inexcusabiles, quia vel audierunt, vel facile audire potuerunt Evangelii vocem, quæ per totum orbem insonnerat. Hæc igitur expositione admissa, negatur eandem posse applicari ad verba Christi, quia in loco Pauli circumstantiæ contextus, et materia de qua agitur, nos cogunt ut per tropum et synecdochen verba illa exponamus; at vero in verbis Christi imprimis nulla est necessitas, et ideo ex regula generali exponendi Scripturam, proprietates verborum tenenda est. Deinde circumstantiæ sermonis Christi potius nos ad hanc intelligentiam inducunt. Ac denique consonantia Scripturarum eam valde confirmat. Cum enim Christus dicit Apostolis, Math. ult.: *Ventes, docete omnes gentes*, vel clarius Marc. ult.: *Ventes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, non est locutus per synecdochen, sed proprie. Nam revera in universum orbem dedit potestatem Apostolis, eorumque successoribus. Huic etiam veritati concordant veteres prophetiæ supra adductæ, et aliæ, quæ videri possunt Isaia 66, et Ezech. 41 et 37.

6. *Obiectio.* — *Responsio.* — Sed adhuc superest aliquid addendum prædicto loco Pauli, quo hæc veritas magis confirmetur. Videtur enim huic ultimæ expositioni obstare, quod cum Paulus verba Psalmistæ usurpet, eodem sensu quo ille loqui credendus est; at in Psal. 18, verba illa: *In omnem terram exivit sonus eorum*, proprie et in rigore intelliguntur de universa terra. Nam ad litteram ibi est sermo de cælis, qui per universum orbem enarrant gloriam Dei, in sensu vero mystico de Apostolis; ergo eodem modo locutus est Paulus. Ex qua objectione imprimis sumimus quod, sicut prædicatio cælorum in omnem terram exivit, ita Evangelii prædicatio aliquando exitura est. Nam Psalmista (exponente Paulo) hoc prædixit sub illa figura. Unde ulterius elicimus (exponendo simul Augustini sententiam) Paulum eodem sensu esse locutum; ita tamen ut non docuerit illam prophetiam jam omnino esse impletam, sed cœptam impleri, ita ut ea ra-

tione fierent inexcusabiles, vel Judæi, vel Gentiles, ad quos verbum Evangelii pervenerat.

7. Ad Chrysostomum et alios Patres citatos, non negamus quin Christus Dominus, in eo cap. Matth. 24, eversionem Hierosolymitanam, multaque signa quæ eam præcesserunt, prædixerit, et ita hunc sensum interdum Sancti declarant; tamen negari quoque nequit, quin de adventu suo ad iudicium, et de signis quæ illum antecedent, multa ibi tractaverit, vel quia discipuli, existimantes eversionem Hierosolymitanam non esse futuram usque ad secundum Christi adventum, simul de utraque consummatione interrogaverant (ut ibi D. Thomas nota); vel quia Hierosolymitana eversio et signa ejus futura erant quasi imago quædam divinæ vindictæ in die iudicii futuræ; solet autem divina Scriptura futurorum veritatem in figuris præmittere ac præsignificare, simulque multa dicere, quæ et in rem illam, quæ figura est, apte conveniant, et in re repræsentata perfectius eventura sint. Sic Psal. 71 principalis est sermo de Christo, in persona Salomonis, qui fuit ejus figura; et multa in eo dicuntur, quæ et Salomoni et Christo quadrare possunt, aliqua soli Christo. Sic etiam Dan. 11, de Antichristo et de Antiocho simul est sermo; et Isaia 14, de Nabuchodonosor, et Lucifero, et de Babylone, et mundo, ut ibi notat Hieronymus; et similia sunt multa Scripturæ exempla. Ad hunc ergo modum locutus est Christus Dominus in eo capite prædicans signa et terrores iudicii simul cum Hierosolymitano excidio. Quapropter licet aliqua verba interdum exponantur a Patribus de eversione Jerusalem, non excluditur quin exponi possint de ultimo iudicio, præsertim si secundum proprium verborum sensum illi melius accommodentur. De qua re legi potest Chrysost., hom. 11 in Mat., circa illa verba: *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ubi tradit regulam generalem servandam in Scriptura, scilicet: *Christum sæpe in eisdem rebus duas prophetias pariter collocare, quarum unam hic impleat, alteram spondeat in futuro, ut ab iis qui de promissionibus ejus pertinacius dubitant, ex hac quæ jam facta est, etiam illa, quæ nondum facta est, credatur implenda.*

8. Superest vero exponendum (quod secundo loco proposuimus) quisnam sit expectandus effectus hujus universalis prædicationis, id est, an non solum prædicandum sit Evangelium in universo orbe, sed etiam ab omnibus sit recipiendum, ita ut totus orbis ad Chri-

stum convertendus sit, et religionem Christianam professurus, antequam adveniat dies Domini. Ratio dubitandi est, quia Christus non dixit: *Credetur hoc Evangelium in universo, sed, prædicabitur*; nec dixit, prædicabitur ut omnes credant, sed, *in testimonium omnibus gentibus*, ut qui noluerint credere, nullam excusationem habeant (ut omnes exponunt); ergo non constat Evangelium ubique esse suscipiendum, sed prædicandum tantum. In contrarium autem facere videntur omnia quæ pro Augustini sententia paulo ante adduximus de promissionibus Christo factis: *Dominabitur a mari usque ad mare*, et de universali tam gentium quam Judæorum conversione. Et de priori quidem multa supra retulimus ex Davide, Isa., Ezech.; de posteriori vero est clara prædictio Isai., c. 41: *Et erit in die illa, adjiciet Dominus secundo manum suam, ad possidendum residuum populi sui*, ut Hieron., Cyril., Basil. et alii exponunt. De utraque vero est expressum testimonium Pauli, ad Rom. 11: *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intraret plenitudo gentium, et sic omnis Israel salvus fiet.* Quod etiam videtur significasse Joann., c. 41, exponens sensum ab Spiritu Sancto intentum in verbis illis Caiphæ: *Expediit ut unus moriatur homo pro populo, ut non tota gens pereat: Prophetavit (inquit) quod Jesus erat moriturus pro gente, id est pro Judæis, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, id est, ut omnes, tam Judæos quam gentes, in unam Ecclesiam cogeret. Quod etiam confirmant verba illa Christi: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Sic etiam de utroque populo prædictum erat, Psal. 58: *Dominabitur Jacob et finium terra*; et Soph. 3: *Tunc (loquitur de die iudicii) reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serciant ei humero uno*; et postea hanc conversionem, tam gentium quam Judæorum, late describit. Et confirmatur tandem ex Paulo, 2 ad Thessal. 2, dicente: *Nisi venerit discessio primum, seu apostasia.* Supponere enim videtur, prius universum orbem futurum esse unius Christianæ religionis, postea vero adventu Antichristi majori ex parte a Christo recessurum.

9. In hac re nihil video esse in Scriptura perspicue prædictum, neque ab antiquis Doctoribus traditum; ex iis vero quæ dicta sunt,